

**MODUS**  
**JUVANDI MORIENTES,**

**TITULUS QUINTUS.**

**SUMMARIUM.**

- 1 Morientes quomodo juvandi sint?
- 2 Parochus ex frequenti visitatione potest dignoscere statum Infirmi.
- 3 Frequentes Visitationes possunt practicari in Civitatibus.
- 4 Non vero in Parochiis ruralibus.
- 5 Preces institutae ab Ecclesia ante commendationem Animae.
- 6 Tempus mortis vocatur tempus Indulgentiarum.
- 7 Debet tunc haberi recursus ad Indulgentias.
- 8 Indulgentiae omnes fontem unum agnoscunt Summum Pontificem.
- 9 Per Filiationem spirituales multi aggregantur Religionibus.
- 10 Indulgentiae impetratae ab Infirmo debent revelari Parocho.
- 11 Infirmus destitutus sensu potest lucrari Indulgentias.
- 12 Intentio actualis, seu virtualis non requiritur ad acquirendas Indulgentias.
- 13 Si quis petierit Indulgentiam cum peccato, non est sacrilegus.
- 14 Cardinales solent mittere Sacerdotem ad elargiendam Indulgentiam.
- 15 Qui missus est, debet adhibere Cottam, et Stolum.
- 16 Formula qua utebantur qui missi fuerant a Card. de Verme.
- 17 Multae Indulgentiae lucrantur cum simplici Invocatione Nominis Jesu.
- 18 Momenta ultima in Infirmo sunt magni ponderis.
- 19 Potestatio, et Professio fidei facienda.
- 20 Professio fidei praecipue est facienda ab Episcopis imminente morte.
- 21 Spes Theologica habet locum in Viatore.
- 22 Praeceptum spei non omni tempore obligat.
- 23 Propositio damnata de non eliciendo Actu fidei.
- 24 Dolere ob Amorem Dei, est actus perfecti doloris.
- 25 Moribundus parcere debet omnibus de proximo suo.
- 26 Debet veniam postulare ab offensis.
- 27 Molestia morbi toleranda in Poenitentiam peccatorum.
- 28 Non omnis Infirmitas est ad mortem.
- 29 Spes vitae non danda Infirmo graviter laboranti.
- 30 Orationes jaculatoriae ad quid inserviant?
- 31 Psalmi sunt fontes Orationum jaculatoriarum.
- 32 Orationes in quacumque lingua haberi possunt.
- 33 Oratio in communi valde est accepta Deo.
- 34 Orationes sunt genibus flexis faciendae.
- 35 Domestici infirmi graviter laborantis recedere debent ab ejus lectulo.

1 2 Facta mentio huc usque est de preparatione Infirmi ad mortem: modo de ipso Infirmo moriente verba praestat facienda nostrum Rituale. Jam in uno ex antecedentibus Titulis dictum fuit, debere Parochum admonere domesticos, et Ministros, seu Assistentes, quod si morbus ingravescat, vel Infirmus agonizare incoeperit, statim ipsum Parochum accersant, ut morientem adjuvet. Modo Rituale docet modum juvandi morientem. Pro cujus documento dicam, ex frequenti visitatione a Parocho facta, posse ei facile evenire, ut absque eo quod vocetur, ipsemet sit, qui gravem, et ultimum statum Infirmi dignoscat.

§. I. Ingravescente morbo, Parochus infirmum frequentius visitabit, et ad salutem diligenter juvare non desinet: monebitque, instante periculo, se confestim vocari, ut in tempore praesto sit morienti, sumptoque Sanctissimo Viatico, et Sacra Uctione adhibita, si periculum immineat, statim commendationis Animae Officium praestabit, de quo infra. Sed si tempus suppetat, sequentia pietatis officia praestare poterit, si ita expedire judicaverit, pro conditione Personae.

3 4 Haec frequentia in visitandis Infirmis praescripta, potest quidem in Civitatibus faciliter praestari, sed non in Villis, seu locis foraneis ob magnam quandoque distantiam ab Ecclesia ad domum Infirmi: nihilominus totis viribus conari debet Parochus, ut solite has Infirmorum domos visitet, etiam post administrata Sacramenta.

5 Posito itaque, quod Infirmus videatur morti proximus, adhibitis, et ministratis, ut diximus, Sacramentis Poenitentiae, Eucharistiae, et Extremae Uctionis, non aliud superest, nisi ut ad commendationem Animae deveniatur. Verum si prudenter judicetur etiam aliquod temporis spatium superesse, ne frustranea sit visitatio a Parocho facta, atque ne tempus vacuum, et infructuosum relinquatur, tunc cum omnia momenta maximi ponderis sint, pia mater Ecclesia nonnullas pias, et devotas orationes docet, et actus fructuosos, quibus Infirmus detineatur in illa necessitate, donec in agone ponatur, quo tempore ad commendationem Animae deveniendum est, si ita prudenti Parocho videbitur.

§. II. Ac primo, si aegrotus Indulgentiam legitima aut-

horitate concessam consequi possit, eam illi reducat ad mentem, proponatque quid ad eam consequendam agi debeat, praesertim, ut contrito corde, Sanctissimum Nomen Jesu semel, vel saepius invocet.

6 7 Tempus mortis, misericordiae, atque Indulgentiae tempus vocatur a Dionys. Carthus. *Noviss.* 1. ideo ut Infirmi Anima, donec in corpore est, expietur etiam ab omni levi culpa, et poenas in Purgatorio tolerandas imminuat, ad Indulgentias a Summis Pontificibus concessas recurrendum est.

0 Plurimae equidem istae sunt, sed omnes fontem unum agnoscunt, nempe summum Pontificem Romanum, qui cum sit Thesauri meritorum Christi, et Sanctorum custos, ipse solus facultatem habet illum aperiendi, distribuendique fidelibus; eo quia potestas clavium Ecclesiae, respectu Thesauri Indulgentiarum residet praecise penes eum, *Lezana verb. Indulg.* n. 15. S. Thom. *in. 4. d. 20. qu. 1. art. 3.* et alii Doctores communiter.

2 10 Detur igitur casus, quod aegroto dispensatae fuerint Indulgentiae lucrandae in articulo mortis, vel per filiationem spiritualem, qua multi variis Religionibus aggregantur, vel per aggregationem alicui Confraternitati, vel per recitationem alicujus Orationis, sive per traditionem alicujus Imaginis, sive demum aliquo alio modo, ut esset si Praelatus accepisset numerum Indulgentiarum conferendarum in tali articulo, et applicandarum diversis personis, vel Papa ipse concessisset alicui, viva voce, limitatas Indulgentias, pro secunda, vel tertia generatione supplicantis, debet Parocho, vel Sacerdoti assistenti id revelari, ut opera imposita ipse aeger adimplere possit; quamvis etiam Indulgentiae concedantur, minimo, vel nullo imposito onere. Super hoc videndus est ex gratia doctissimus Tractatus Jo: Chrysostomi Philippini Cl. Regul. Veronensis, inscript *Filiatio Spiritualis, impress. Venet. 1686.* multa, et varia doctrina refertus.

11 12 13 Quod si aeger sensibus destitutus esset, adeo ut non perciperet, nihilominus Indulgentias lucrari posset, quia Summus Pontifex saepe concedit Indulgentiam plenariam moribundis, sensibus jam destitutis, qui nihil amplius percipiunt, neque talem gratiam sciunt sibi elargitam esse, et tamen illam lucrantur. Ex quo patet, ad acquirendam Indulgentiam, neque actualem, neque virtuales intentionem necessariam esse: unde Pasqualig. *Prax. Magni Jubilaei, q. 34. n. 10.* dicit, Indulgentias concessas moribundis, et pro quibus non jungitur opus aliquod peragendum, ipsis applicari posse, etiam sensibus destitutis, quamvis illas prius nusquam petierint, ut apud eun-

dem affirmant Suarez, Acosta, Rodriguez, Villalobos, Quintanadvenas, et Bonacina: sufficit enim, ut capaces Indulgentiarum sint in statu gratiae: si vero non essent, non propterea (inquit Pasqualig. *loco citat.*) committitur sacrilegium: Unde etiam applicari poterunt Phreneticis, Amentibus, Furiosis, et quibuscumque Baptizatis, Philippin. *d. c. 2. dub. 5. n. 49.*

14 15 16 His positis, si Sacerdos mittatur a Cardinali cum facultate aegrotum benedicendi, et Indulgentiam illi impertiendi in articulo mortis, hoc ritu debet id praestare. Superpelliceo, et Stola violacei coloris indutus, dictoque per Ministrum *Confiteor*, dicere debet: *Misereatur, etc. Indulgentiam, etc.* et deinde haec, quae sequuntur, juxta laudabilem formulam a Cardin. de Verme olim Ferrariae Episcopo recolendae memoriae praescriptam, prout infra, videlicet: *Autoritate Sanctissimi Domini Nostri Papae, ab Eminentiss. et Reverendiss. D. Cardinali N. mihi demandata, impertior tibi ✠ Benedictionem Pontificiam cum omnibus Indulgentiis solitis, et consuetis. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

17 Multae Indulgentiae sunt, quae lucrantur cum brevi invocatione tantummodo Sanctissimi nominis Jesu. Hoc facile insinuari potest Infirmo, ut, quam saepius possit, illud ineffabile nomen repetat, et in extremo agone ultima sit haec vox, quae ab illo, saltem corde, si non ore, promatur.

§. III. Deinde hortetur Infirmum, et excitet, ut, dum mente viget, eliciat actus Fidei, et Charitatis, aliarumque Virtutum, nempe, etc.

18 Momenta ultima in Infirmo magni momenti sunt, et ponderis; atque ideo inutiliter profundenda non essent. Igitur dum mente, et sensibus valet, hortandus est, ut reviviscere faciat actus Christianos saltem in corde suo, nam si corpore languet, cor usque ad ultimum, in robore suo est, atque agere potest quaecumque a voluntate ei proponantur.

§. IV. Ut firmiter credat omnes articulos Fidei, et quidquid S. R. E. Catholica, et Apostolica credit, et docet.

19 20 Haec est quaedam Protestatio, et Professio Fidei,

quae semper, sed praecipue in articulo mortis, est a Fidelibus facienda: Nihilominus Fidei professio unice praecipitur Episcopis cum extremum diem suum appropinquare cognoverint, et est facienda ab illis antequam communicent cum Rochetto, et Stola, coram Sanctissimo Sacramento: *Caerem. Ep. l. 2. c. 38.*

§ V. Ut speret, Christum Dominum nostrum pro sua immensa clementia sibi fore propitium, et merito ejus Sanctissimae Passionis, et per intercessionem Beatae Mariae, et omnium Sanctorum, se vitam aeternam consecuturum.

21 Spes Theologica, sicuti et fides in viatore tantummodo locum habent, non in comprehensare, et Gratia Dei principalior causa est, quam nostra merita, cum ea ipsa sint ex Dei gratia. Verum non omni tempore praeceptum Spei, sed certis casibus obligat, sicuti et praeceptum fidei exercendae, contra quam virtutem opponitur desperatio, *Layman, l. 2. t. tr. 2. n. 1. 7.*

§. VI. Ut toto corde diligat, et maxime diligere cupiat Dominum Deum, ea dilectione, qua illum diligunt Beati, Sanctique omnes.

23 Prima inter propositiones a Sanctiss. Alexandro PP. VII. damnatas haec est: *Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, et Charitatis, ex vi Praeceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Quare qui eam teneret, in maximo errore esset: nam Praeceptum negativum de non odiendo Deo semper obligat, sed affirmativum diligendi, certis temporibus; quorum praecipuum est, cum primum homo, usum rationis adeptus Deum, tamquam ultimum finem supernaturalem, per fidem sufficienter cognovit; longam moram traere non debet, quin illud voluntate acceptet, et omnia opera in eum referat. Eundemque actum saepius in Vitae decursu Homo exercere debet. Charitas enim est Virtus perfectissima, ac veluti forma, et Regina aliarum virtutum, *Laym. l. 2. t. 3. c. 1. n. 1. et 6.*

§. VII. Ut ob amorem Dei doleat ex corde de omni

offensa, qualitercumque contra Dominum Deum, et proximum commissa.

24 Actus perfectissimi doloris est dolere de peccatis ob amorem Dei, et vocatur contritio, ut communiter DD. Iste actus cum charitatem amplectatur, saepissime repetendus esset ab Infirmo.

§. VIII. Ut ex corde, ob amorem Dei parcat omnibus, qui sibi quoquomodo fuerint molesti, ac inimici.

25 Hoc est praeceptum Dei, ut Homines diligantur invicem, et Theologicè iste amor vocatur charitas erga proximum, ad cuius mensuram parcat nobis Deus: adeo praecipue inculcanda est hujusmodi venia iis, qui occisi ab aggressore moriuntur, nec aliud in mente tunc habent, quam vindictam contra hostem suum.

§. IX. Ut ab iis veniam postulet, quos aliquando dictis, aut factis offendit.

26 Actus iste eliciendus est ab Infirmo, etiam si illi qui fuerunt ab eo offensi, praesentes non sint. Virtus enim satis laudabilis est, et magni facienda.

§. X. Ut quem patitur dolorem, et morbi molestiam, propter Deum, in Poenitentiam peccatorum suorum patienter toleret.

27 Tolerantia in adversis dolorem levem facit. Felix qui Crucem suam ante Crucem Domini intuetur, *Kemp. de Imitat. Christi, l. 3. c. 17.* Ista oblatio Domino facta saepe numero peccata venialia delet, et poenas in Purgatorio tolerandas imminuit: quare commendus est Infirmus, ut offerat Deo Crucem suam.

§. XI. Ut si Dominus illi salutem corporis praestare dignabitur, proponat de caetero, pro viribus suis, a peccatis cavere, et ejus mandata servare.

28 29 Non omnis infirmitas est ad mortem: ideo saepius convalescunt, et insurgunt Infirmi. Si tamen morbus gravissimus sit, tanta spe non sunt consolandi, quia facile desistent ab operibus virtuosis, et ab actibus meritoriis. Nimis ad vitam servandam proclivis natura est, et semper usque ultimum spes vitae perdurat. Unde si Sacerdos illi adstans, aliquid de valetudine loquatur, exiguus igniculus spei reviviscet, et a mortis metu Infirmum distrahet cum maximo aeternae salutis periculo.

§. XII. Hortetur preterea, ut eo modo, quo potest, saltem ex corde, ita per intervalla precetur, etc.

30 31 Orationes jaculatoriae potissimum inserviunt ad suscitandos in Anima pios affectus; ideo nonnulli Psalmorum, et precum versiculi hic assignantur, qui facilius per ora Fidelium percurrunt, non eo quia istos tantummodo repetere debeat Infirmus, seu non eo quia hos unice adhibeat Sacerdos ad excitandum animum Infirmi, sed ut istos, utpote faciliores, et obvios insinuet dicendos ab aegroto. Multi, et quidem pluri versiculi in Psalterio reperiuntur, quorum significationes maxime conferunt ad implorandum Divinum auxilium, et Dei misericordiam, necnon ad cordis compunctionem demonstrandam, quos ad libitum Sacerdotis, seu Infirmi relinquo, et legi possunt in fine explicatione Ps. *Miserere* a P. Paulo Segneri editae.

§. XIII. Haec; et his similia poterit prudens Sacerdos, vulgari, seu latino sermone, pro Personae captu, morienti suggerere. \*

\* *In Rituali Romano quod benedicti XIV. jussu Romae primum an. 1752. editum est, et deinde Remondinianis typis Venetiis recusum hoc anno 1762. hic loci adjectus est Modus pro opportunitate temporis servandus ad impertiendam Be-*

32 Non ideo exponuntur isti versiculi latino idiomate, quia eodem exprimi debeant ab Infirmo, sed quia tales reperiuntur in Psalmis inserti, et in Orationibus ab Ecclesia approbatis. Quocumque idiomate pronunciari possunt, et si infirmi latinam linguam ignorent, dici possunt materna lingua. Vide amplissimum *Sacerdotale Brixinensis Ecclesiae*, de quo saepius in his Commentariis mentio est, cum Orationibus lingua, et character Germanico conscriptis. Item alios libellos lingua Gallica, quibus utuntur Sacerdotes in illis Regionibus. Hi enim versiculi, et preces non sunt de exceptis, adeo ut nequeat adhiberi nisi idiomate latino. Denique hoc observandum est, quod, cum dicantur ad profectum, et subsidium Infirmi, melius est, ut et ipse intelligat quid loquatur.

§. XIV. Deinde sequentes Preces, quanta poterit, majore devotione dicat; admoneatque domesticos, et circumstantes, ut simul orent pro moriente.

33 34 Oratio in communi magis Deo accepta est, quia amat multiplicatos Intercessores, Innoc. III. *de Sacr. Missae*. Cumque specificè in casu a Rubrica praescripto; tractetur de Anima morientis Deo commendanda, cessat particularis vox aegroti, et pro ea remanent suffectae voces Sacerdotum, et Fidelium adstantium, quibus incumbit respondere quando occurrit in Litaniarum et aliarum precum recitatione. Haec Oratio, ut majori devotione dicatur, recitabitur genibus flexis, quia iste vere est actus venerationis, et poenitentiae, ut alibi diximus.

Si demum domestici, et familiares resistere non valeant (ut saepissime datur) ob gemitus, et dolorem, melius erit ut recedant cum ejulatibus suis, ne morientem a recta intentione divertant. Plura circa haec vide in Pasqualig. *de Privilegio morientium, per totum*.

nedictionem in articulo mortis constitutis, ab his, qui facultatem habent a Sede Apostolica delegatam. *Hujusmodi Ritum Auctor noster praetermisit propterea quod cum novam suam editionem secundis curis adornavit, nondum in Rituali Romano insertus erat. Si quis illum, rubricasque ad eum atinentes cognoscere cupiat, idem Rituale a Benedicto XIV. locupletatum adeat.*